

PONTIFICIA COMMISSIONE  
CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

**COMMUNICATIONES**

VOL. X - N. 2

---

1978

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS  
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1978

<i>Salutatio</i> . . . . .	130
EX ACTIS PAULI PP. VI	
<i>Litterae Apostolicae motu proprio datae</i>	
<i>De Sacri Pallii concessione moderanda in Ecclesia Latina</i> . . . . .	131
EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. I	
<i>Allocutio ad Em.mos S. R. E. Cardinales</i> . . . . .	133
EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II	
<i>Allocutio ad Em.mos S. R. E. Cardinales</i> . . . . .	142
<i>Allocutio de momento linguae Latinae</i> . . . . .	150
EX ACTIS SANCTAE SEDIS	
<i>Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal</i>	
<i>Declaratio et definitiva sententia Miamien. Incardinationis</i> . . . . .	152
<i>Pont. Commissio Decretis Conc. Vat. II interpretandis</i>	
<i>De procedura sequenda in remotione parochorum</i> . . . . .	159
ACTA COMMISSIONIS	
<i>Opera Consultorum in recognoscendis schematibus</i>	
I. Coetus studiorum de Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum . . . . .	160
II. Coetus studiorum de Sacramentis - De Ordine . . . . .	179
III. Coetus studiorum de Processibus . . . . .	209
DOCUMENTA	
<i>Una questione elegante: favorevole o odiosa la norma penale? (P. Card. Felici)</i>	273
NOTITIAE . . . . .	281
INDICES . . . . .	283
I. Index locorum e Sacra Scriptura citatorum . . . . .	285
II. Index locorum in quibus memoria Concilii Vaticanii II servatur . .	285
III. Index locorum ex Concilii Vaticanii II textibus citatorum . . . .	286
IV. Index canonum CIC citatorum . . . . .	287
V. Index nominum personarum . . . . .	290
VI. Index rerum generalis . . . . .	293

Conventus dd. 13-18 martii 1978 habiti

*Can. 213 (qui fit 210) (CIC 974, § 1, et 984, 1)*

*Ad ordines promoveantur ii soli qui, prudenti iudicio Episcopi proprii aut Moderatoris maioris competentis, omnibus perpensis adiunctis recta moventur intentione, debita pollent scientia, bona gaudent existimatione, integris moribus probatisque virtutibus atque aliis qualitatibus physicis et psychicis ordini recipiendo congruentibus.*

*Ex propositione unius Consultoris adiunguntur verba recta fide et textus sonat proinde: Ad ordines ... existimatione, recta fide et integris moribus probatisque virtutibus ...*

*Can. 224 (qui fit 219) (CIC 984)*

*Ad recipiendos ordines sunt irregulares qui iudicio peritorum aliqua forma laborant amentiae aliusve psychici defectus, qua inhabilis redantur ad ministerium rite implendum.*

Textus qui iam in anteacta sessione emendatus et probatus fuerat, adhuc in praesenti corrigitur ita ut loco *iudicio peritorum* dicatur *qua consultis peritis* ne in casu iudicium de Ordinibus recipiendis solis peritis remittatur.

*Can. 225 (qui unitur 219) (CIC 985)*

*Ad recipiendos ordines sunt irregulares ex delicto, sive publico sive occulto, dummodo delictum post baptismum fuerit perpetratum:*

1) *qui a plena communione Ecclesiae catholicae scienter et libere defecerit;*

2) *qui matrimonium attentare aut civile tantum ausus fuerit, vel ipsem et vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut voto publico castitatis perfectae, etiam temporaneo, a matrimonio ineundo impeditus, vel cum muliere matrimonio valido coniuncta aut eodem voto adstricta;*

3) *qui voluntarium homicidium perpetraverit aut fetus humani abortum procuraverit, effectu secuto, omnesque positive cooperantes;*

4) *qui seipsum vel alium mutilaverit vel sibi vitam adimere tentaverit;*

*5) qui actum ordinis posuerit constitutis in ordine sacro reservatum, vel eodem carens, vel ab eius exercitio poena aliqua canonica prohibitus.*

Hic canon unitur canoni praecedenti et ad textum quod attinet, et insuper haec quae sequuntur in disceptatione notantur:

Ad maximam securitatem habendam irregularitas incurrit solummodo postquam poena declarata vel irrogata est.

Ad n. 1 quod attinet, proponente uno Consultore, praefertur dictio quae in Codice (can. 985) habetur.

Ad n. 2 quod spectat, supprimitur verbum *perfectae* post *castitatis*, quia in Concilio praecise ista omissione introducta fuit.

Card. Praeses aliquantulum contrarium sese declarat et petit ut inquiratur quomodo terminologia circa castitatem usurpata sit in documentis conciliaribus.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> *Nota de terminologia circa castitatem in Concilio Vat. II usurpata.*

1) *Sequentes habentur formulationes: Castitas Deo dicata (LG 43); Castitas propter regnum coelorum (PC 12); Continentia perfecta (PC 12), (PO 16); Coelibatus Deo dicatus (PC 12); Virginitas Deo consecrata (OT 10); Coelibatus (OT 10), (PO 16), (AA 4); Perfecta propter Regnum coelorum continentia (LG 42); Perfecta et perpetua propter Regnum coelorum continentia (PO 16); Virginitas vel coelibatus propter Regnum coelorum servatus (PO 16); Sacer coelibatus (PO 16); Coelibatus sacerdotalis (OT 10); Actus proinde, quibus coniuges intime et caste inter se uniuntur, honesti ac digni sunt ... (GS 49); Vierges consacrées (nunt. aux femmes); Purs (nunt. aux jeunes).*

2) *Quid terminologiam usurpatam fundat, vel ea innuit:*

a) Mens eorum qui in Const. dogm. Lumen Gentium laboraverunt fuit ut viciaret distinctio inter *castitatem perfectam* et *imperfectam*, quia castitas quae in matrimonio exerceri debet differt specie ab illa quae innuptis praecipitur. Non agitur de duobus gradibus eiusdem speciei. Itaque, salvo errore, nullibi invenitur in documentis Conc. Vat. II illa terminologia, et hoc non casu sed ex intentione.

b) Sermo est e contra de continentia *perfecta*, quia continentia *imperfecta* (quod est contrarium) non habet sensum peiorativum. Haec terminologia magis respicit factum aliquod quam virtutem specie unam.

c) Plures adhibetur adjektivus *dicatus*, *consecratus* immo et *servatus*, qui adjективi respiciunt Deo et exprimunt ideam quae aliter quoque exprimitur verbis *propter Regnum coelorum*. His expressionibus innuitur conceptus secundum quem illa species castitatis est veluti quaedam proclamatio Regni venturi, ubi « nec nubent » homines *nec nubentur*. Haec ergo castitas est ad modum signi cuiusdam definitivae realitatis venturae, fide quidem percepta et iam in hoc mundo amplexa.

d) *Actus coniugalis* dicitur simpliciter *castus*, et hoc valet non tantum de ipso actu, sed de omnibus actibus propriis intimitati coniugali, ut videtur erui posse ex texto Const. GS, qui explicite *honesti* declarantur, non adhibita terminologia aliquorum moralistarum.

e) Omnibus perspectis, videtur Concilium voluisse aliquomodo terminologiam emendare antea usurpatam, nova quaedam perspectiva adhibita.

Ad n. 3, cadunt, proponente aliquo Consultore, verba *effectu seculo*, quia abortus non est procuratus, sed attentatus tantum, si effectus non sequitur.

Unus Consultor preferret ut hic etiam tentamen abortus includatur, quia, cum agatur de promovendis ad ordines, expediret ut legislatio strictior quam pro aliis esset. Contradicit alius Consultor ne difficultates augeantur in conatu delicti stabiendi. Res suffragio subicitur et 5 sunt pro verborum suppressione et 2 pro eorum conservatione.

Ad n. 4, proponentibus aliquibus Consultoribus, terminologia assimilatur illi quae in iure poenali habetur ideoque adiungitur, ante *mutilaverit, graviter et dolose*.

Ad n. 5, aliquis Consultor adnotat in iure poenali rem restringi tantummodo ad eum qui Eucharistiam celebrat et sacramentum Paenitentiae administrat. In animadversionibus ab aliquibus petitur ut specificetur quod in casu agitur de actibus iis reservatis qui in ordine presbyteratus vel episcopatus sunt constituti. Quapropter textus totius canonis est:

*Ad recipiendos ordines sunt irregulares:*

- 1) *qui aliqua forma laborat amentiae, aliusve psychici defectus, qua, consultis peritis, inhabilis reddatur ad ministerium rite implendum;*
- 2) *qui delictum apostasiae, haeresis aut schismatis commiserit;*
- 3) *qui matrimonium attentare aut civile tantum inire ausus fuerit, vel ipsem vel vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut voto castitatis, etiam temporaneo, a matrimonio ineundo impeditus, vel cum muliere matrimonio valido coniuncta aut eodem voto adstricta;*
- 4) *qui voluntarium homicidium perpetraverit aut fetus humani abortum procuraverit omnesque positive cooperantes;*
- 5) *qui seipsum vel alium graviter et dolose mutilaverit vel sibi vitam adimere tentaverit;*
- 6) *qui actum ordinis posuerit constitutis in ordine episcopatus vel presbyteratus reservatum, vel eodem carens, vel ab eius exercitio poena aliqua canonica declarata vel irrogata prohibitus.*

Can. 226 (qui fit 220) (CIC 987)

*Sunt a recipiendis ordinibus simpliciter impediti:*

- 1) *vir uxorem habens, nisi ad diaconatum permanentem legitime destinetur;*

- 2) *qui officium vel administrationem gerit clericis vetitam cuius rationem reddere debet, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liber factus sit;*  
 3) *neophytus, donec, iudicio Ordinarii, sufficienter probatus fuerit.*

Placet n. 1.

Ad n. 2, aliquis Consultor proponit ut supprimatur, quia Episcopus dispensare ab eo potest et res amplius per se non est impedimentum, tamen convenitur ut remaneat cum additione referentiae cann. 146-147 schematis de Populo Dei.

Ad n. 3, unus Consultor tenet hunc numerum supprimi posse, ut pote amplius non actualem. Alius Consultor petit ut de hac re audiatur S. Congregatio de Propaganda Fide. Etiam tertius Consultor est contra numeri suppressionem. Primus Consultor respondet missiones possibiliter habere regulas speciales faciendi. Res suffragio submittitur cuius exitus est: 3 contra 3; 1 sese abstinet.

Cum suffragium sit 3 contra 3, textus remanet uti iacet, sed loco *donec* ponitur *nisi*.

*Can. 227 (qui fit 221)*

- § 1. *Ad exercendos ordines receptos sunt irregulares:*
- 1) *qui irregularitate ad ordines recipiendos dum afficiebatur, illegitime ordines receperit;*
  - 2) *qui gravi corporis debilitate laborat, quatenus rite sacras functiones peragere non valeat;*
  - 3) *qui aliquod delictum commiserit de quo in can. 225, n. 1, si delictum est publicum;*
  - 4) *qui aliquod delictum commiserit ex iis, de quibus in can. 225, nn. 2, 3, 4, 5.*

§ 2. *Ab ordinibus exercendis impediuntur:*

- 1) *qui impedimento ad ordines recipiendos detentus, illegitime ordines receperit;*
- 2) *qui amentia aliove defectu phychico de quo in can. 224, n. 2, afficitur, usquedum Ordinarius, consulto perito, eiusdem ordinis exercitum permiserit.*

Animadversionibus in consultatione prolatis consideratis disceptationeque peracta, convenitur ut:

§ 1, n. 1 remaneat; n. 2 supprimatur iuxta ea quae statuta sunt pro can. 224; nn. 3-4 (qui fiunt 2-3) remaneant, dempto verbo *aliquid*.

Relator proponit ut hoc in loco dicatur *qui irregularitatem contraxerit, de qua in can. ....*, quia actio ad quam refertur non necessario est delictum. Contradicit unus Consultor, quia hic agitur de actionibus post receptos ordines peractis, ideoque necesse est ut verbum *delictum* servetur. Alius Consultor proponit ut suspensio addatur pro Episcopis qui irregulariter presbyteros ordinant et pro ordinatis ab Episcopo suspenso (cann. 2372-2374 CIC), sed tertius Consultor notat melius esse ut haec Coetui de delictis et poenis relinquantur.

Probatur uti est § 2, n. 1; et n. 2 censemur ut possit remanere prout iacet et probatur sicuti est.

*Can. 228 (qui fit 222) (CIC 988)*

*Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu atque impedimentorum ab eisdem non eximit.*

Probatur textus sine verbis *sive ex delicto sive ex defectu*, ut factum est in cann. 223, 224, 225 Schematis (qui nunc sunt 218, 219).

*Can. 229 (qui fit 223) (CIC 989)*

*Irregularitates et impedimenta multiplicantur ex diversis eorundem causis, non autem ex repetita eadem causa, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario aut ex procurato fetus humani abortu, effectu secuto.*

Placet textus, dempto *effectu secuto*, ut factum est in can. 225, n. 3 Schematis (qui nunc est can. 219, n. 4).

*Can. 230 (qui fit 224) (CIC 990)*

*§ 1. Uni Apostolicae Sedi reservatur dispensatio ab omnibus irregularitatibus, si factum quo innituntur ad forum iudiciale deductum fuerit.*

*§ 2. Eidem etiam reservatur dispensatio ab irregularitatibus et impedimentis ad ordines recipiendos quae sequuntur:*

1) *ab irregularitatibus ex delicto publico de quibus in can. 225, nn. 1 et 2;*

2) *ab irregularitate ex delicto sive publico sive occulto de quo in can. 225, n. 3;*

3) *ab impedimento de quo in can. 226, n. 1.*

*§ 3. Apostolicae Sedi etiam reservatur dispensatio ab irregularitatibus ad exercitium ordinis suscepti de quibus in can. 225, n. 2, in casibus publicis tantum, atque in eodem canone, n. 3, etiam in casibus occultis.*

Consideratis animadversionibus prolatis necnon disceptatione perfecta, Consultores malunt nihil in textu mutare, secus esset nimia disciplinae mitigatio, hodie praesertim, et cum agatur de sacerdotibus, melius est ut Sancta Sedes dispensem pro casibus occurrentibus. Proinde textus probatur uti est.

*Can. 231 (qui fit 225) (CIC 990, § 3)*

*In casibus occultis urgentioribus, si adiri nequeat Episcopus, aut quando de irregularitatibus agatur de quibus in can. 225, n. 3, S. Paenitentiaria, et si periculum imminet gravis damni aut infamiae, potest qui irregularitate ab ordine exercendo impeditur eundem exercere, firmo tamen manente onere quamprimum recurrendi ad Ordinarium aut S. Paenitentiariam reticito nomine et per confessarium.*

Quidam petierunt ut distinctio in textu fiat inter facultates Episcopi vel Ordinarii et quae confessario competunt, quia hic ultimus videtur maioribus gaudere facultatibus quam primus. Sed respondeatur hic non agi de confessarii facultatibus, quia qui irregularitatem contraxit, ipse per se potest agere ordinem exercendo et postea recurrere ad Ordinarium aut ad S. Paenitentiariam per confessarium. Remanet textus uti est.

*Can. 232 (qui fit 226) (CIC 991)*

*§ 1. In precibus ad obtinendam irregularitatum ac impedimento rum dispensationem, omnes irregularitates ac impedimenta indicanda sunt; attamen, dispensatio generalis valet etiam pro reticitis bona fide, exceptis irregularitatibus de quibus in can. 225, n. 3, aliave ad forum iudiciale deducta, non autem pro reticitis mala fide.*

*§ 2. Si agatur de irregularitate ex voluntario homicidio aut ex procurato fetus humani abortu, etiam numerus delictorum ad validitatem dispensationis exprimendus est.*

*§ 3. Dispensatio generalis ab irregularitatibus et impedimentis ad ordines recipiendos valet pro diaconatu et presbyteratu.*

Placent §§ 1 et 2.

Ad § 3, quaestio movetur utrum in hac § 3 includendi sint etiam candidati ad episcopatum. Card. Praeses instat ut servetur textus § 3, can. 991 CIC, et de eius sententia in actis referatur. Duo Consultores tenent melius esse ut textus in scheme propositus servaretur. Aliqui insuper Consultores praferunt ut dicatur *pro omnibus ordinibus*, loco *diaconatu et presbyteratu*. Haec ultima sententia est ea quae praevalet.

### CAPUT III

#### DE IIS QUAE SACRAE ORDINATIONI PRAEIRE DEBENT

*Can. 233 (qui fit 227) (CIC 993)*

§ 1. Ut *Episcopus aut Moderator maior aliquem ad ordines recipiendos admittat, requiritur ut habeat documenta quae in § 2 recensentur atque, peracto ad normam § 3 scrutinio, moraliter certus sit candidatum iis qualitatibus esse ornatum quae ad ministerium ordinis rite et fructuose exercendum requiruntur, et eundem nullis adstrictum esse irregularitatibus et impedimentis canonicis.*

§ 2. *Documenta quae requiruntur sunt sequentia:*

1) si agatur de ordinandis ad presbyteratum, testimonium recepti diaconatus;

2) si agatur de promovendis ad diaconatum, testimonium recepti baptismi et confirmationis, atque receptorum ministeriorum de quibus in can. 215; item testimonium factae declarationis de qua in can. 216, necnon, si ordinandus sit uxoratus qui promovendus est ad diaconatum permanentem, testimonia celebrati matrimonii et consensus uxoris;

3) testimonium de studiis rite peractis ad normam can. 220, §§ 1 et 2.

§ 3. *Ad scrutinium de qualitatibus in ordinando requisitis quod attinet, serventur praescripta quae sequuntur:*

1) habeatur testimonium rectoris Seminarii vel domus formationis aut, si extra Seminarium candidatus institutus fuerit, sacerdotis cuius curae commissus fuit, de eiusdem qualitatibus ad ordinem recipiendum requisitis, scilicet de eius recta doctrina, genuina pietate, bonis moribus atque aptitudine ad ministerium exercendum; itemque, rite peracta inquisitione, de candidati statu valetudinis physicae et psychicae;

2) si id expedire iudicet, *Episcopus aut Moderator maior de iisdem candidati qualitatibus deque eius libertate ab omni impedimento canonico, testimoniales petat litteras ab Episcopo alius dioecesis aut Moderatore maiore alius provinciae Instituti vitae consecratae aut Societatis clericalis, in qua candidatus postquam aetatis annum decimum quartum expleverit commoratus sit;*

3) in paroeciis in quibus candidatus post expletum aetatis annum decimum quartum domicilium aut quasi-domicilium habuerit, publicationes nominis promovendi ad ordinem fiant, si ita praescripserit *Episcoporum Conferentia regionis aut districtus regionalis, atque modo ab eadem Conferentia definito;*

4) *Episcopus aut Moderator maior, ut scrutinium rite peragatur, alia quoque potest adhibere media, quae, pro temporis et loci adiunctis, sibi utilia videantur.*

Animadversionibus consideratis et disceptatione peracta, omnes Consultores conveniunt ut § 1 supprimatur, utpote quae in ea recensentur iam in canonibus antecedentibus contenta.

§ 2 probatur uti est.

§ 3, n. 1, probatur, demptis, proponente aliquo Consultore, verba aut, si extra ... commissus fuit, ne impressio quidem habeatur quod dari possit optio ut quis in Seminario vel extra Seminarium institutionem ad ordinem perficiat. Pro casibus exceptionalibus — notat unus Consultor — erunt leges exceptionales. Nn. 2 et 3: supprimuntur. N. 4 (qui fit n. 2), post disceptionem sic se habet:

*Episcopus dioecesanus aut Moderator maior, ut scrutinium rite peragatur potest alia quae sibi, pro temporis et loci adiunctis, utilia videantur adhibere media uti sunt litterae testimoniales, publicationes aliaeve informationes.*

Cadit propositio alicuius Consultoris ut mentio de communitate christiana hic introducatur. Et conveniunt ut § 3 fiat canon per se stans. Omnes pariter conveniunt ut hic inseratur, ut can. 228, textus can. 999 CIC:

*Christifideles obligatione tenentur impedimenta ad sacros ordines, si qua norint, Ordinario vel parocho ante ordinationem revelandi.*

*Can. 234 (qui fit 229) (CIC 996)*

*Curet Episcopus aut Moderator maior ut candidatis, antequam ad ordinem aliquem promoveantur, instructiones dentur, quibus rite edoceantur in iis quae ad ordinem pertinent.*

Aliquis Consultor instat ut canon deleatur utpote superfluus, si omnia alia praescripta bene observantur. Eidem insuper videtur textum potius instructionem liturgicam spectare et alibi inveniri debere. Tamen omnes alii Consultores sunt contrarii, ideoque manet textus cui perinde post ordinem adiungitur *eiusque obligationes*, proponente Cardinali Praeside.

*Can. 235 (qui fit 230) (CIC 997)*

*§ 1. Ut Episcopus ordinationem iure proprio conferens ad eam procedere possit, ipsi constare debet documenta de quibus in can. 233, § 2 praesto esse atque, scrutinio ad normam iuris peracto, idoneitatem candidati esse probatam.*

*§ 2. Ut Episcopus ad ordinationem procedat alieni subditi, sive saecularis sive sodalis Instituti vitae consecratae, sufficit ut litterae dismissioniae referant eadem documenta praesto esse, scrutinium ad normam iuris esse peractum atque de idoneitate candidati constare; quodsi promovendus sit sodalis Instituti vitae consecratae aut Societatis clericalis, eaedem litterae insuper testari debent eundem cooptatum fuisse et esse subditum Moderatori qui dat litteras.*

*§ 3. Si illis non obstantibus, ob certas rationes Episcopus dubitat num candidatus sit idoneus qui ad ordines promoveatur, eundem ne promoveat.*

Ad § 1, aliquis Consultor, sicut prolatum est in animadversionibus, notat in textu nihil dici quod iam antea dictum non sit et proponit ut supprimatur. Tamen alii Consultores preferunt ut textus servetur cum additione verborum *positivis argumentis* post *candidati*.

Placent §§ 2 et 3.

*Can. 236 (qui fit 231) (CIC 1001)*

*Omnes qui ad aliquem ordinem promovendi sunt, exercitiis spiritualibus vacent, loco et modo ab Ordinario determinatis; et Episcopus, antequam ad ordinationem procedat, certior factus esse debet candidatos rite iisdem exercitiis vacasse.*

Placet textus canonis, additis verbis *per quinque saltem dies post spiritualibus*.

**CAPUT IV**  
**DE TEMPORE ET LOCO SACRAE ORDINATIONIS**

Relator animadvertisit hoc caput transferri debere ubi de celebratione et ministro agitur.

*Can. 237 (qui fit 232) (CIC 1006)*

§ 1. *Ordinatio episcopalis intra Missarum sollemnia cum christifidelium quam maxima frequentia celebretur, die dominico vel festo de praeecepto, nisi rationes pastorales alium diem, festum Apostolorum praezeros, suadeant.*

§ 2. *Ceterae ordinationes intra Missarum sollemnia cum christifidelium quam maxima frequentia celebrentur, die dominico vel festo de praeecepto, sed ob rationes pastorales aliis etiam diebus, ferialibus non exceptis, fieri possunt.*

Aliquo proponente Consultore, §§ 1 et 2 in unum redicuntur. Supprimitur insuper expressio *cum christifidelium quam maxima frequentia per suffragium: 4 contra 2.* Textus qui proinde probatur est sequens:

*Ordinationes intra Missarum sollemnia celebrentur, die dominico vel festo de praeecepto, sed ob rationes pastorales aliis etiam diebus, ferialibus non exceptis, fieri possunt.*

*Can. 238 (qui fit 233) (CIC 1007)*

*Quoties ritus ordinationis reiterandus sit vel aliquis ritus supplendus, id quolibet die ac secreto fieri potest.*

Omnes Consultores consentiunt ut canon deleatur utpote obsoletus post Constit. Apost. Pii Papae XII *Sacramentum ordinis* (30-XI-1947).

*Can. 239 (qui fit 233) (CIC 1009)*

*Ordinationes in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque canonicis, vocatoque clero civitatis, celebrentur; ob rationes tamen pastorales in alia dioecesis ecclesia aut oratorio celebrari possunt, vocato saltem clero loci, immo, iusta de causa, in sacello domus episcopalis.*

Relator instat ut canon in duas §§ dividatur; in § 1 de loco ordinationis tractandum est et in § 2 de personis vocandis. Card. Praeses petit ut verba *immo, iusta de causa, in sacello domus episcopalis* de-

leantur. Disceptatione peracta, convenitur ut textus ab aliqua Episcoporum Conferentia propositus sumatur aliquantis per emendatus. Aliquis Consultor praeferret ut dicatur *presbyterio* loco *clero*, sed alii non concordant. Textus itaque qui probatus est sequens:

*§ 1. Ordinationes generaliter in cathedrali ecclesia celebrentur; ob rationes tamen pastorales in alia dioecesis ecclesia aut oratorio celebrari possunt.*

*§ 2. Ad ordinationem invitandi sunt clerici aliquique christifideles, ut quam maxima frequentia celebrationi intersint.*

## CAPUT V

### DE ADNOTATIONE AC TESTIMONIO PERACTAE ORDINATIONIS

*Can. 240 (qui fit 234) (CIC 1010)*

*§ 1. Expleta ordinatione, nomina singulorum ordinandorum ac ministri ordinantis, locus et dies ordinationis notentur in peculiari libro in Curia loci ordinationis diligenter custodiendo, et omnia singularum ordinationum documenta accurate serventur.*

*§ 2. Singulis ordinatis det Episcopus ordinans authenticum ordinationis receptae testimonium; qui, si ab Episcopo extraneo cum litteris dimissoriis promoti fuerint, illud proprio Ordinario exhibeant pro ordinationis adnotatione in speciali libro in archivio servando.*

Placet textus et probatur ut est.

*Can. 241 (qui fit 235) (CIC 1011)*

*Loci Ordinarius, si agatur de saecularibus, aut Moderator maior competens, si agatur de suis subditis, notitiam uniuscuiusque celebratae ordinationis transmittat ad parochum loci baptismi, qui id adnotet in suo baptizatorum libro ad normam can. 470 § 2 (CIC).*

Placet ut textus remaneat prout iacet.

\* \* \*

Ad ordinem systematicum huius Tituli, unus Consultor proponit ut distinctio inter irregularitatem et impedimentum tollatur, ita ut habeatur caput de iis quae ab ordinibus recipiendis et caput de iis quae ab ordinibus exercendis impediunt. Contradicit aliis Consultor quia irregularitas semper manet nisi dispensemur; dum si impedimenti ratio cessat, ipsum impedimentum quoque cessat. Ergo impedimentum de se

cessare potest. Simplificatio proposita esset, iuxta sententiam eiusdem Consultoris, maior obscuratio et fons plurium dubiorum. Etiam alii Consultores contrarios se manifestant et primus Consultor in sua propositione non insistit.

Relator qui sequitur proponit ordinem systematicum totius Tituli *De Ordine*, qui ab omnibus probatur:

#### TITULUS VI: DE ORDINE<sup>2</sup>

Cann. 190, 191 §§ 1 et 2.

##### Caput I. DE ORDINATIONIS CELEBRATIONE ET MINISTRO

Cann. 237 § 2; 239; 192; 194; 195 ad 205.

##### Caput II. DE ORDINANDIS

Can. 206, § 1; 193.

Can. 206, § 2 textus uti est, et addatur: *praeterea documenta habentur de quibus in can. 233, § 2 (nunc 227, § 1) atque scrutinium peractum sit de quo in can. 233, § 3 (nunc 227, § 2).*

##### *Art. 1. De requisitis in ordinando*

Can. 207: *Ut quis ordinetur debita libertate gaudeat oportet; nefas est ...*

Can. 209.

Cann. 208, 210, 234, 219 et 220.

##### *Art. 2. De praerequisitis ad ordinationem*

Can. 212.

Cann. 214, 215, 216, 217, 218, 236.

##### *Art. 3. De irregularitatibus aliisque impedimentis*

Cann. 233, 224-226, 230, 231, 232.

##### *Art. 4. De documentis requisitis et de scrutinio peragendo*

Cann. 233, § 2, 235, 233, § 3.

##### Caput III. DE ADNOTATIONE AC TESTIMONIO PERACTAE ORDINATIONIS

Cann. 240, 241.

(M. DE NICOLÒ, *Actuarius*)

<sup>2</sup> Numerus canonum refertur ad ordinem canonum qui in fasciculo typis edito 1975, pp. 58-71 habetur.